



Universitätsbibliothek Paderborn

**Acta Synodalia Osnabrvgensis Ecclesiæ, Ab Anno Christi
MDCXXVIII.**

Brogberen, Johannes

Coloniæ Agrippinæ, 1657

Synodi Osnabrugenses duae; quarum priorem quidem, feriâ tertîâ post
Dominicam Oculi, MDLXX, sed posteriorem, eâdem recurrente feriâ, anno
sequente, celebravit Episcopus Ioannes, Comes Hoyensis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14298

SYNODVS DIOECESANA
OSNABRUGENSIS

P R I M A,

habita Anno M D L X X,

Feria tertia post Dominicam Oculi,

S V B

Illustrissimo & Reverendissimo Principe ac Domino

D. I O A N N E,

OSNABRUGENSIS, MONASTERIENSIS,
AC PADERBORNENSIS ECCLESIARVM

E P I S C O P O,

C O M I T E D E H O Y A.

M A N D A T U M
OFFICIALIS OSNABRUGENSIS,
de duplice celebranda Synodo
per annum.



Os CONRADVS von
der Burg / Iuris Licen-
tiauitus , Collegiatae Ec-
clesiae S. Ioannis Osnab-
rugi Decanus , & Re-
verendissimi ac Illustri-
ssimi Principis ac Domini-
ni, Domini IOANNIS ,
Dei & Apostolicae Se-
dis gratia Episcopi Osnabrugensis , Monasterien-
sis & Paderbornensis , clementissimi nostri
Principis ac Domini , constitutus Officia-
lis Osnabrigi ; universis ac singulis , Prælatis ,
Abbatibus , Prioribus , Præpositis , Collegia-
tarum Decanis , Parochialium Ecclesiarum Pa-
storibus , Capellarum , Oratoriorum , Divino-
rumque Rectoribus , Curatis & non Curatis ,
Presbyteris , Beneficiatis , nec non quibuscum-
que Status Ecclesiastici personis , per Civita-
tem & Diocesim Osnabrugensem constitutis ,
nostræque Iurisdictioni subjectis , Salutem in
Domino sempiternam .

Notum proinde omnibus & manifestum
hoc præsenti Decreto facientes : Cum ad
manus nostras , paucis ante diebus , xiii scilicet
proxime clapsi mensis Ianuarii , seriosum
altemorati clementissimi nostri Principis
ac Domini scripto comprehensum Mandatum ,
(quod , cum debitâ ac submississimâ re-
verentia sufficientes , huic nostro Decreto ,
de verbo ad verbum , inferuimus) clementissi-
me direximus , tenoris sequentis :

Ioannes , Dei & Apostolicae Sedi grata-
tia Episcopus Osnabrugensis , Monasteriensis ,
& Paderbornensis , &c.

Honorabilis & sincere Nobis dilecte .
Quanquam sacrosanctis cœcumenicis Conci-
liis , & Canonicis constitutionibus , serisque
earum ordinationibus , pro conservatione do-
ctrinae Catholicæ , nec non disciplinæ Eccle-
siasticæ , salubriter sufficienterque cautum &
provisum esse reperiatur , ut quolibet anno
bis Diocesana Synodus celebretur , in eaque
omnes uniuscujusque Episcopatus Diocesanæ
Iurisdictioni subjecti Prælati , Sacerdotes &
Pastores , (quod in ea errores & defectus , quos
in sibi commissæ curæ districtu irrepsisse com-
pererint , fideliter deponant , & Synodi super-

iis ordinationem , ejusque salutaria Statuta &
conclusionem , cum debitâ reverentia expe-
tent ,) sub poenis Canonicis obedientissime
comparere teneantur :

Hicce tamen supramemoratis non obstantibus , non sine magnâ animi Nostræ perturbatione re ipsa comperimus , hujus Nostræ Diocesis Osnabrugensis Pastores , Nostræque Ordinariæ Iurisdictioni subjectos Curatos , non solum in magnum preallegatarum Canonica-
rum constitutionum contemptum , sed & in notabile fæcularium scandalum , hoc præcipue deplorato & dissidiis intricato tempore , potissima fere ex parte ex dictis annuis Synodis , contumaciter omnino , & absque legitimâ causâ emanere .

Cum autem Officii Nostræ Pastorali fit , similibus gravioribus excessibus , opportunis
remediis in tempore occurrere ; tibi serio &
clementissime committimus , quatenus omnes & singulos Pastores , ceteroque alias Ecclesiastici Status viros , Diocesanæ Nostræ Iurisdictioni subjectos , & Synodalibus convenientibus de jure vel de consuetudine interesse obligatos , moneas , iisque districte nomine Nostro , sub comminatione poenæ , sacris Canonibus contra similes contumaces expresse , & alterius insuper notabilis arbitriæ multæ pecuniariae , mandes , ut , rejectâ omni remorâ , in consuetis Nostris Osnabrugensisibus Synodis infallibiliter & obedientissime , prout te-
nentur , compareant , iis reverenter , ut bonos Ecclesiasticos decet , intersint , nec sub illo quæfito colore (nisi urgenti & legitimâ ex causâ , vel corporis adversâ valetudine disten-
ti , de quibus tamen certam fidem facere te-
neantur ,) ab iis emanere præfumant . Si jam
vero , spretis hicce Nostris salutaribus moni-
tionibus , (quod tamen de nullo confidimus)
unus vel plures se à spediatis Synodis absen-
tare obstinate præsumerent ; tibi hicce expresse
mandatum volumus , contra tales rebellis , &
contumaciter absentes , non solum ad poenas
Canonicas , sed & comminatum mulctam
pecuniariam , summarie in continenti procedas ,
eosque in poenam utramque incidisse declara-
tos , ad actualem solutionem competentibus
mediis de facto constringas .

Quod

Quod etiam promptius & expeditius seriam hanc nostram voluntatem per omnia (quacunque è medio sublatâ remorâ) exequaris; vigore hujus, omnibus nostris Drossardis, Quæstoribus, & Officiatis sacerdotalibus qui-bucunque, tam Monasteriensis quam Osnabrugensis Nostris Episcopatus, (in quorum districtu declarati rebelles habitaverint,) serio mandamus, ut, quatenus egeas, ad tuam vel tui legitimi mandatarii requisitionem, promptam tibi operam pro emonitione & reali executione similium mulctarum, impendant; rebellesque Pastores, & Vicecuratos, ad plenissimam satisfactionem viâ executivâ compellant; à quâ reali assistentiâ nulli, se Officiali subtrahere, sub quovis quæsito titulo, audeant; prout praetactos omnes, pro omnimoda Nostræ quoad hoc firmissimæ voluntatis executione, mandatis nostris morem gesturos, clementissime confidimus. Data ex Nostra Episcopali Residentia Iburgensi, Veneris die **xxii** Ianuarii, Anno M D LXX.

Subscriptio:

IOANNES, *Episcopus Osnabrug. Monast.
& Paderbornensis, Comes de Hoya.*

Wilhelmus Flattan, Secretarius.

Superscriptio:

Honorabili, sincere Nobis dilecto Consiliario, Conrado von der Burg/
Curia Nostræ Episcopalis Osnabrugensis Officiali, & Decano ad
S. Ioannem, Iuris Licentiatu.

Cum itaque altememorati clementissimi Nostrî Principis ac Domini gratiosissimis mandatis parere obedientissime oporteat, prout id specialiter nobis incumbit: Mandamus omnibus & singulis praetatis Prelatis, Abbatibus, Prioribus, Præpositis, Collegiarum Decanis, Parochialium Ecclesiârum Pastoribus, Capellarum, Oratoriis divinorumq; Rectoribus, curatis & non curatis, Presbyteris, & quibuscumq; Status Ecclesiastici personis, quorumvis Monasteriorum, Collegiorum, Pastoratum, Capellarumque præsidibus, aut alias ordinariae Diocestanæ Iurisdictioni subditis aut quomodolibet subiectis; & volumus, (prout omnes & singulos in specie & in genere hisce publicis patentibus, sub pena lexaginta aureorum florenorum Rhenentium, altememorati Principis ac Domini nostri fisco applicandorum, nec non sub peenis aliis Ordinariis & Canonicis, transgressoribus sine ullo respectu imponendis, monemus & requirimus,) iisque serio præcipimus, ut omnes & singuli secundum antiquam & immemorialem hujus Osnabrugensis Dicecessis laudabilem obseruantiam, feria tertia post instantem Dominicam **O C U L I**, quæ incidit in vigesimam octavam, quæ ultima ejusdem est, mensis Februarii, in majori aula Capitulari summæ Ædis Osnabrigi, ad horam octavam matutinam, ut & alias subsequentibus annis, statim temporibus, ordine à majoribus nostris accepto, ac etiam vigore præinferti specialissimi Mandati, altememorati laudatissimi nostri Principis ac clementissimi Domini, infallibili-

liter obedienterque, sèpositâ omni excusatione, ut bonos Praelatos ac Pastores decet, compareatis, orationibus tractationibusque Synodalibus frequentes intersitis, iustitia, ad quæ ab antiquo tenemini, pendatis, & ea denique præstetis, ad quæ vos obligant Statuta Synodalia, & Dicecessis utilitas ac incrementum. Quod si autem contra omnem conceputam spem, unus pluresve, paternis hisce futuribus ac clementissimis nostri Illusterrimi Principis monitionibus, ac huic penali mandato debite non paruerit, refractariè se eis opposuerit, eaque inexcusabili suâ emanatione contempserit, ac personaliter se tempore ordinato quotannis in Synodo consuetâ non stiterit, orationibus tractationibusque Synodalibus non interfuerit, sed è contra ab iis feso in vilipendium inexcusabiliter absentaverit:

Nos prænominatus Officialis contra talesve, quotquot refractarii reperti fuerint, secundum contenta Episcopalis Mandati, secundum constitutiones Canonicas, & prout in similibus Canonice procedi confuevit, serio & summarie, ulterioribus declaratoris, ad' valvas Ecclesiæ Cathedralis Osnabrigi affigendis, procedemus, eum vel eos, tanquam refractariè & publicè inobedientem inobedientesve, in prætactam mulctam sexaginta florenorum aureorum Rhenensium, aliasque Iuris Canonici poenas, vigore Statutorum Synodalium, incidisse, declarabimus & condemnabimus; atque ad realem poenarum earum solutionem, viâ executivâ, tenore præinferti sèpè memorati clementissimi Episcopalis mandati, & autoritate etiam competentis no-

Q 3 bis

bis Iurisdictionis, absque ullo personarum respectu, constringi procurabimus. Secundum quæ quisque sefe dirigere sciat.

Et nos Officialis prænominatus, pro certiori hujus saepius laudati Episcopalis clementissimi Mandati intimatione, hoc nostrum pœnale mandatum per infrâ nominatum no-

strum Notarium expediri fecimus, & manus nostræ subscriptione r̄oboravimus, ac majoris nostri Officialatus sigillo scienter sigillari & communiri jussimus. Datum Osnabru-
gi, feria secundâ post Dominicam Invocavit;
quæ fuit XIII dies Mensis Februarii, Anno
Salvatoris nostri Iesu Christi M D LXX.

Infrâ scriptum:

*Ex speciali mandato antememorati Domini Officialis,
ego Christianus Praesse, publicus Notarius, præsens
Mandatum manu propria scripsi & subscripsi.*



S Y N-

M V T A D M A M
E R O O S I S E L M A O I
SYNODVS DIOCESANA
O S N A B R V G E N S I S

A L T E R A ,

Habita Anno M D LXXI ,

Feria tertia post Dominicam Oculi ,

S V B

Illustrissimo & Reverendissimo Principe ac Domino ,

D . I O A N N E ,

O S N A B R V G E N S I S , M O N A S T E R I E N S I S ,
E T P A D E R B O R N E N S I S E C C L E S I A R V M

E P I S C O P O ,

C O M I T E D E H O Y A .

Vbi promulgatur SS. Concilium Tridentinum.

M A N D A T U M
D. I O A N N I S E P I S C O P I
A D O F F I C I A L E M
Curiæ suæ Episcopalis,
De promulgando CONCILIO TRIDENTINO.



OANNE S , Dei & Apostolicæ Sedis gratia Episcopus Osnabrugensis , Monasteriensis , & Paderbornensis , Comes de Hoya . Honorable & sincere Nobis dilecte . Cum non sine maximo animi Nostræ mœrere intellexerimus , jam dudum varias , erroneas , & orthodoxæ Nostræ religioni contrarias , etiam in punctis fidei , passim à Pastoribus , præcipue per hanc Nostram Diœcesin Osnabrugensem , doceri opiniones , easque in rudi & simplici populo perniciissime disseminari ; causam vero hujus mali inde vel maxime profluxisse adverterimus , quod radibus & indoctis plerumque Pastoribus , certa & aperta ad salutem scitu necessariorum Christianæ veritatis articulorum , breviter comprehensa , ac typis divulgata methodus , (secundum quam pede inoffenso , & se & suos simplices subditos dirigant ,) ubique fere defuerit ; & hoc quidem per incuriam eorum , qui , licet in specula vigilantes Episcopalis constituti fuerant , hisce tamen malis haec tenus , imo in hoc usque tempus , inexcusabili torpore indormierunt :

Nos itaque , pro officio Nostro Pastorali , damnatis illis dogmatibus tandem aliquando per Dei gratiam finem imponere satagentes , nec non incorrigibiles hujusmodi Pastores (cum nulla , prò dolor , in iis amplius sanæ reductionis spes superfit ,) privari omnino volentes ; sacrosanctam generalem & oecumenicam , non ita pridem feliciter , opitulante Domino , conclusam , Tridentinam Synodus , nec non ab eadem Synodo prescriptum Catholicum & orthodoxum Catechismum , utpote in quo invariata Christiana Romana Catholica religio , ordinate , fundamentaliter & integre tradita continetur , quemque propterea prima die imprimi curabimus , observari per diœcensem nostram Osnabrugensem Diœcem volumus .

Ne autem Pastores , tanquam hujus Nostræ decretæ resolutionis ignari , ullam habeant prætendere excusationem ; hisce clementissi-

me tibi committimus & mandamus , ut hanc Nostræ mentis intentionem in hac proxime instanti vernali & consueta Synodo , in præsentia Archidiaconorum , cum prælectione hujus Nostræ adjuncti Decreti Synodalis de recipiendo & servando in posterum per Diœcensem nostram Osnabrugensem Concilio Tridentino , ejusque Catechismo , debite insinuari , publicari & intimari facias ; itaque proinde , nomine Nostro , sedulo & severe injungas , ut lese (sicut in Decreto transmissio latius continetur) per totam Diœcesin nostram Osnabrugensem , tam in cœrimonialibus quam doctrinalibus , sub comminatione gravissimæ mulctæ , immo & actuali privatione suorum Pastoratum & curæ commissæ , saepe dictis Tridentina Synodo & Catechismo conformiter per omnia gerant : prout etiam unufquisq; præcipue Pastorum & Curatorum , quamprimum dictus Catechismus editus haberi potuerit , sibi duos similes , unum nempe catenæ in publico Ecclesiæ pulpito , pro cuiusvis cupientis usu firmandum , alterum pro ordinario suo manuali , sedulo utendum , intra spacium unius mensis comparare tenebitur . Quod Nostrum propositum , quo facilius & maturius effectui demus , & per hoc quoscunque inutiles & inqualificatos Pastores penitus exterminemus , aliam adhuc reformationem confici , tibique exadi clementissime curabimus .

Insuper volumus , ut , si quodam contra expressum tenorem , nuper à te autoritate Nostra publicati & typis emanati Synodalis Mandati , ad hanc instantem consuetam Synodus non comparere , atque contumaciter abesse contigeret , eos , tanquam contumaces , in poenam comminatam sexaginta aureorum florenorum Rhenensium incidisse declares , eamque in continentis absque omni connivenzia vel personarum respectu exigi procureas , secundum hanc Nostram invariabilem clementissimam voluntatem ; prout te , & omnes Nostros subditos , hisce Mandatis Nostris morem gesturos , clementissime confidimus . Ex Residentia Nostra Episcopali Iburgensi , xvi Martii , Anno M D LXXI .

IOANNES EPISCOPVS.
Sequi-

Sequitur

D E C R E T U M E P I S C O P A L E
prædictum.

NOS IOANNES, Dei & Apostolicæ Sedis gratia Episcopus Osnabrugensis, Monasteriensis & Paderbornensis, Comes de Hoya, &c. Venerabilis Clero per Civitatem ac Diœcesin nostram Osnabrugensem, Salutem in Domino ac gratiam nostram. Ad Episcopale munus non ob nostra quidem merita, sed omnipotentis misericordia Dei, à quo omnis potestas, omne imperium, omneque bonum descendit, vocati, nihil curæ, operæ ac solicitudinis à Nobis prætermitti debere existimavimus, quod possemus à Deo nobis commissi gregis saluti quam commodissime prospicere. Quia de causa eti non parum laboris ac diligentiae à Nobis suscepimus est, ut Diœcesis hæc Nostra, in pace ac tranquillitate conservata, quam minimum hoc tam turbulentio tempore caperet detrimenti: in hoc tamen uno, ab ipso Nostræ vocationis exordio, omnis Nostra cura & cogitatio vel imprimis consumpta est, ut, profligatis exterminatisque perversorum hæreticorum perversis impiusque erroribus, populus, Nobis concreditus, lana atque incorrupta Christianæ & Catholicæ fidei bonorumque morum doctrinæ salubriter pascetur. Memores enim, in qua Nos specula misericors Deus collocaverit, & nomine & professione Nostra indignum arbitrati sumus, si, quum boni Principis munus, quantum humana præstari posset industria, non infrenue obire studeremus, boni tamen Pastoris officium aliquod in Nobis requiri pateremur.

Quanquam autem, in hac cura & summa Nostra sollicitudine, & sœvæ temporum horum perturbationes, & plurima maximarum rerum incommoda, ita votis desideriisq; Nostris obstiterint, ut haec tenus quidem (quod non sine maximo dolore referimus) multo facilius, quid in hoc tam præclaro ac necessario negotio optare, quam quid efficere possemus, invenire licuerit; tantum tamen abeat, ut tam pii operis studium abjecerimus, nulla ut res frequentius animo Nostro obversetur, nulla cor Nostrum stimulis pungat acrioribus. Nam, quotiescumque in universi Christiani orbis, ac imprimis in hujus Nostræ Diœcesis statum, oculos convertimus, (facimus autem illud, ut par est, quotidie,) quo tandem modo fieri potest, ut officii vocationisque Nostræ non admoneamur, inò vero ut non potius vehementer discruciemur animo, tam miserandam in fide nostra Christiana nova-

tionum atque adeò eversionum intuentes faciem? Septingentis & ultra annis, Christiana, Catholica, & orthodoxa fides ac religio, integra in his terris & incontaminata permanet; amabilisque illa pax, animorumque consensio in fide, ac morum simplicitas & integritas, ita floruit, ut omnes unum sentirent & dicerent, effeteque multitudinis credentium quasi cor unum & anima una. At vero Nos in quæ tempora, in quos hominum mores incidimus! An non in ipso statim ingressu maxima ex parte his paucis annis deformatam & prope eversam religionem invenimus? Nunquid non sacrilegis erroribus ac hæresibus lacera tam ac divulgâ Christiani nominis unitatem vidimus? Nonne, discordiarum ac disensionum facibus accensis, omnia undique lamentabili incendio flagrare, oculis Nostris conspeximus? Nihil in fide Nostra tam firmum ac sanctum, quod non hæreticorum impietas, etiam in Nostris terris, labefactare, nihil tam pie religioseque in Ecclesia constitutum, quod non sectariorum perversitas conata sit everttere. Omnis pernicioſis opinionibus, omnia nefariis erroribus plena reperimus. Quanta, Deum immortalem, disciplinæ Ecclesiastice, quanta innocentia, honestatis, integratissime morum, consecuta est ruina! plane ut illud affirmare non dubitemus, hoc sæculo, hac mortalium vita, ipsum Solem nihil quicquam vidisse corruptius; nec, inde ab Apostolorum temporibus, totis mille quingentis annis, tot extitisse hæreses, quot proximis superioribus quinquaginta annis exortas videmus; vix ut jam Hæresiarcharum infausta nomina, nedum impia dogmata, enumerando, recenferi possint. Neque vero hæc tam contagiosa pestilentialium errorum lues, simplicem tantum & incautam plebem infecit, (quamvis & illam ad furorem usque insanire video,) verum illos etiam, pro dolor, corripuit, quos decebat laudabilia majorum suorum exempla imitari, seque pro domo Dei murum opponere, pro que sancta Catholica fide & religione, ipsis à parentibus ac majoribus quasi per manus traditâ ac commendatâ, summis viribus & opibus, etiam ad sanguinem usque, decertare. Quos quidem ita magna ex parte seductos atque occæcos sentimus, ut in eo magnam se pietatem colere existimant, atque adeò aperte profiteantur, quod à parentum majorumque suorum fide ac religione quam longissime recesserint; cum tamen, re exactius pensata & discussa, neque in Deum, neque in paren-

parentes, avos, proavos ac majores, (quos, non quidem infideles Iudeos, aut impios paganos, sed vita, religione ac professione pios ac fideles Christianos fuisse, fateri coguntur,) nulla major inveniri possit impietas. Mirandum quidem hoc, vel potius summe dolendum est. Illud vero quam fit lugendum, quam abominandum, quam detestandum, quae tandem orationis vis explicare possit, quod haec pestilentium dogmatum contagiosa lepra, ad ipsum usque Dei Sanctuarium progressa, etiam multos ex his invasit, qui, in loretum Domini vocati, inter lepram & lepram dijudicare, & quorum labia sanam rectamque scientiam custodi-
re debeant? Quam enim multos (pro dolor,) ex his, quibus animarum cura docendi que munus in Ecclesia demandatum est, invenire licet, qui vel suam ipsorum erroneam opinionem, vel impurissimi cujusque Hæretiar-
chæ perniciofissimos errores sequi maluerunt, quam sanum sincerumque Catholicæ Ecclesiæ judicium amplecti? Ex hac una re illud, quod omnium calamitosissimum censeri debet, consecutum videmus, ut jam amplius inter ipsos Christianos, non tantum magna rituum & cæ-
rimoniarum sit diversitas, verum etiam, ut nec docendi populi nec administrandorum Sacramentorum eadem teneatur ratio, denique (ut tribus verbis rem expediamus) ut nec Baptisma unum, nec fides una, ac propositum nec Deus quidem unus colatur. Ad has autem dissensiones ac seditiones in Christiana doctrina excitandas, ad hoc virus in Dei Ecclesiam infundendum, quamvis haud dubie multum valuerint improborum ac à fide Catholicæ alienorum hominum seditione ac venenatae conciones; multo tamen plus momenti attulisse videntur infiniti illi (quibus nunc universum orbem refertum videmus) istorum psychotyrannorum impii sacrilegique libelli. His enim Catechismorum, institu-
tionum, aliisque plausibilibus ac speciosis divini verbi titulis, tanquam suavi melle perlitis, ac in universum prope mundum disseminatis, ita subdole, ita occulte, perversi illi ac subversi Sa-
tanæ ministri, sua impietatis venenum mis-
suerunt, ut ex eo senes, juvenes, nobiles, ignobiles, docti pariter & indocti, non pauci etiam non sentientes, corporis animaque exti-
tum imbiberint sempiternum. Et, quam-
quam non desuerunt præclari veritatis vindicem, & doctrina pietateque præstantes viri, qui suscepta laborantis Ecclesiæ causâ, rectam incorruptamque fidei Christianæ doctrinam, contra fraudulentas Sectariorum technas, do-
cte pieque conscriptis libris, defenderint & asseruerint; tamen, qui, semel hæreticæ pravitatis fermento infecti, in suis obdulerent erroribus, ita haec tenus pertinaces & reprobi sunt inventi, ut sanctæ Matris Ecclesiæ veneranda instituta fastidire, ac per insolentiam

etiam & contemptum superbe oppugnare potius duxerint, quam ejusdem salutaria confilia & dogmata humiliter admittere. Usque adeò hi, qui se à Catholica Ecclesia semel nefario schismate præciderunt, omnibus Diaboli insidiis expofiti sunt; ut nullum sit tam blasphemum, tam sacrilegum doctrinæ genus, quod non Catholicae veritati (Satana ita suggerente) libenter anteponat; in pejus proficienes indies, errantesque & in errorem mittentes. In hoc tam deplorando rerum statu, si quid à Nobis oppressæ Ecclesiæ adjumenti potuisset adferri, officio Nostro nequaquam Nos defuturos fuisse existimari debet. Illud certe, quod unum istis temporibus vel maxime subditos movere posse arbitrabamur, studiose diligenterque præstimus; ut videlicet, ab omni hæreleo nefariaque separationis suspicione alieni, sanctam Catholicam fidem & religionem, palam ac publice, constanti infracto que animo prædicaremus, profiteremur, atque etiam sequeremur; (cujus rei testimonium omnes, qui Nos vel publicis vel privatis in rebus paulo noverunt familiarius, facillime Nobis perhibere poterunt;) existimantes, futurum (cum nihil sit quod lumine clariore præfulget, quam recta fides in Principe,) ut hoc Nostro exemplo, si nulli alii, saltem subditi Nostri, qui variis ac peregrinis doctrinis forsan à via veritatis abducti essent, excitati, ad gremium Matris Ecclesiæ redire satagerent. Ceterum quum, peccatis nostris haud dubie ita merentibus, is effet superiorum temporum status, ut neque præsidentium salutaribus monitis & exemplis, neque doctissimis pietate & doctrinæ præstantium virorum scriptis quicquam proficeretur, Christianæque interea res usque adeo in deterius prolaberent quotidie, ut jam amplius humanis viribus, etiam omnes omnia sua contulissent confilia, afflictae ac propemodum desolatae Ecclesiæ, in tantis heretorum ac dissensionum procœllis, nequaquam subveniri posse videbatur; jamque nihil aliud restaret, quam ut omnes pii, cogitatus suos in Dominum Deum conscientes, assiduis eum precibus & suspiriis exorare contenderent; ut ipse horrendis hisce Christianæ Reipublicæ malis pro sua ineffabili benignitate mederi dignaretur: ecce, Pater ille misericordiarum, & totius consolationis Deus, tandem aliquando Ecclesiam suam, tot annos tam miserabiliter discissam ac divexatam respiciens, clementer præstitit, ut Patres in sancta Oecumenica Tridentinæ Synodo, ad ipsius laudem & gloriam, totiusque Christiani populi salutem, in Spiritu sancto legitime congregati, eidem Synodo optatum multisque annis expectatum finem imponerent. Adfuit, inquam, piis illis Patribus benignissimus Deus, & horrendis hæreticorum tenebris, quæ haec tenus terram operuerant, spiritu oris sui

sui depulsis, optatum veritatis lumen fidelibus suis restituit. In hac enim Sacrofanca Synodo visum est Spiritui sancto & iisdem Ecclesiæ Patribus, non modo ut blasphemos ac impios hæreticorum ac schismaticorum Nostræ temporis errores detectos extirparent, ac de gravioribus fidei Christianæ capitibus, quæ semper fuisset ac etiam nunc esset sana ac sincera Catholicæ & Apostolica doctrina, decerrent; verum etiam, ut edito ac in lucem emisso singulari quodam Catechismo, certam præterea formulam ac rationem, Christiani populi ab ipsis fidei rudimentis instituendi, traderent; quam omnes in omnibus locis Parochi aliqui, quibus animarum cura commissa docendique munus injunctum est, unanimiter & fideliter sequerentur. Ad conservandam enim in Ecclesia Dei unitatem & concordiam, nec non ad exterminandas novas & peregrinas opiniones, valde necessarium existimatum est; ut, quemadmodum unus est Dominus & una fides, ita etiam per universum orbem una esset ejusdem fidei, & ad omnia pietatis officia Christianum populum erudiendi, communis & constans regula atque præscriptio. Quam ob rem omnes merito, quotquot sunt Christiani nominis homines, gaudere & exultare, misericordique Deo tantas, quantas eorum animi capere possent, maximas gratias agere convenient, quod, beneficio hujus Sacrofancæ Synodi, de tenebris lucem, de mendacio veritatem, de hæresi Ecclesiam, triumphum celeberrimum agere conspiciant. Scientes enim, quod & ad reprimendam intolentiam hæreticorum, sacrilegam audaciam, & ad fidei religionisque veritatem conservandam, gravissima semper & saluberrima universalium Conciliorum in Ecclesia fuerit autoritas; nequaquam dubitare debemus, quin in hac SS. generali Tridentina Synodo ea fides exposta sit, quam Divum Petrum Apostolum tradidisse Romanis, religio usque adhuc ab ipso insinuata declarat; quam postea Damasum, aliosque pios Pontifices, ac Apostolicæ sanctitatis viros, ad hunc usque Pium V. (vere Pium Pontificem) continua successione lecitos esse claret; quam denique in omnibus magnis & Oecumenicis Conciliis traditam, manifestum est. ita ut, quæ nunc Reverendissimæ Synodi Tridentinæ judicio semel judicata ac recte disposita sunt, ea deinceps nemini, cujuscunque status aut conditionis sit, liceat revolvere aut contentiose disputare. Quapropter, cum hæc omnia ita se habeant, cumque, ex incumbenti Nostris humeris officio, non tantum de Nostra, verum etiam de omnium Nostræ curæ & fidei concreditorum salute per quam solliciti esse debeamus, ac etiam simus; non ignorantes, quod animas eorum, qui, Nobis commissi, Nostra tamen culpa perierint, de manibus Nostris repetiturus fit Altissimus: idcirco cunctos populos, potestati & curæ Nostræ

subjectos, in ea volumus religione versari, quam, ab Apostolis Apostolicisque viris acceptam, Sacrofanca Tridentina Synodus exposuit, probavit, universisque Christi fidelibus tenendam præscripsit; ut omnibus, Christianorum Catholicorum nomina amplectentibus, novas autem ac peregrinas sectariorum appellations, velanasque & dementes opiniones detestantibus, grata his terris pax & tranquillitas restituatur; utque, sicut unus est Dominus & Redemptor noster Iesus Christus, ita una si fidei regula, una omnium ac singulorum Sacramentorum administrandorum ratio, una denique rituum ac cærimoniarum Ecclesiasticarum observatio.

Quò autem facilius id effici possit, non modo Sacrofancæ universalis Tridentini Concilii Decreta, sed & Catechismum, ejusdem auctoritate Concilii conscriptum & editum, typis elegantibus excidi curabimus; mandantes, ac in virtute sanctæ obedientiæ, pro potestate hac in parte Nobis a Deo omnipotenti concessa, districte præcipientes, ut omnes, quorum Nobis a Domino Deo cura est commissa, præfertim vero hi, quibus pascendarum Christi ovium, ac disseminandi verbi divini, impositum est ministerium, cujuscunque status, conditionis & dignitatis etiam fuerint, tam Decreta, quam Catechismum prædictum, ante omnia sibi charum ac commendatum habeant, utque fidei religionisque Catholicæ doctrinam, erudiendi ac docendi populi normam, in illis traditam, in omnibus ac per omnia, absque dolo, fraude & simulatione, tenent & sequantur; reliquos Catechismos, ac alios quoquaque hæreticorum libros, quoquaque tandem nomine censeantur, quæ prædictis Decretis ac Catechismo contraria vel ab iis aliena & diversa docent, rejiciant, sibique prohibitos & penitus interdictos sciant, omnique adeo innovatione cessante, venerandam Catholicæ fidei antiquitatem in prædictis Decretis & Catechismo expositam, defensam & assertam, ament, revereantur & obseruent; pacem, concordiam, salutem denique & suam & ovium sibi commissarum providè querant, ut sic omnes in ejusdem fidei unitatem, sancti Spiritus ducti, congregati, pariter uno ore, uno sensu & confusu, laudent & glorificant Dominum nostrum Iesum Christum, qui est cum Deo Patre & sancto Spiritu benedictus in secula. Quod si vero quisquam Nostris his Mandatis temerario aulu contravenire, vinculum pacis nefarie rumpere, schismatis, divisionis ac novationis confilia inire tentaverit, is divinam primum vindictam, quam effugere non poterit, deinde Nostram etiam ultionem sibi noverit pertimescendam. Datum in Residentia Nostra Episcopali Iburgensi, XVIII Martii, anno M D LXXI.

I O A N N E S
Episcopus Osnabrugensis.

R E -

RESPONSIO OFFICIALIS

de habita Synodo

& promulgatione Concilii Tridentini facta.

PRÆVIA debitorum meorum servitorum humillima oblatione. Reverendissime & Illustrissime Princeps, Domine clementissime me: pro debita, decima octava currentis mensis, accepti ab Illustrissima sua Celsitudine Mandati paritione, hæc paucis obedientissime transcribo, me hac ordinaria die Synodali in frequenti Dominorum Canonicorum Ecclesiæ Cathedralis, nec non Pastorum, & totius Cleri Osnabrugensis, auditorio, promulgasse & observari nomine Sue Celsitudinis mandasse, Sacrosanctum Oecumenicum & generale Concilium Tridentinum, uti & Catechismum, ex autoritate præfati Concilii emanatum; legendo publice De-

cretum super hoc Synodale, à Sua Celsitudine mihi clementissime transmissum. Mirum, quantus hanc inexpectatam promulgationem, omnium animorum, præcipue inordinatorum & inutilium quorundam Pastorum, motus & confernatio sit subsecuta, tacentibus interim omnibus, nec quicquam contradictibus. Vt nunc paternæ hujus Vestre Ill^{me} Celsitudinis vigilantiae, & nunquam satis laudatae Episcopalis sollicitudinis, remunerator & magna merces erit Deus; sic indefessis meis precibus Altissimum deprecari non desinam, pro felici & pacifico Sue Ill^{me} Celsitudinis Diœcесium diutino & pacifico regimine. Osnabrigi, xx Martii, Anno M D LXXI.

Sue Reverendissime & Illustrissime Celsitudinis

Humillimus Sacellanus

Conradus von der Burg.

DECRE-